W f 1725

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0001-0

III, 16.

216.

III, 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0002-5

DE
SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE
IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM
MERITIS
PROGRAMMA. XVII.

QVO
DIEM. III. KAL. FEBRVARII. ANNI CIↃIↃCCLXXI
FAVSTVM. ET. FESTVM. OMNIBVS
NATALEM
SERENISSIMI. PRINCIPIS. IVVENTVTIS
DOMINI
ERNESTI. LVDOVICI
DVCIS. SAXONIAE
ET
SERENISSIMAE. PRINCIPIS
FRIDERICAE. LOVYSAE
DVCIS. SAXONIAE
ILLIVS
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI
DOMINI
FRIDERICI. III
DVCIS
SAXONIAE. GOTHANI. ATQVE. ALTENBVRGICI
PRINCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI
LONGE. CLEMENTISSIMI
PATRIS. PATRIAE. OPTIMI
FILII
SVMMAEQVE. SPEI
HEREDIS
HVIVS
VIRGINALIVM. VIRTVTVM. SPLENDORE. EMINENTISSIMAE
PRINCIPIS. FILIAE
CRAS
AVDITA. POST. MERIDIEM. HORA. TERTIA
IN. ILLVSTRI. GYMNASIO. FRIDERICIANO
DEVOTISSIME CELEBRANDVM
INDICENS
MAECENATES
CVRATORES. GYMNASII. GRAVISSIMOS
RELIQVOS. REI. SCHOLASTICAE. FAVTORES. O. O
AD. AVDIENDOS. ORNANDOSQVE
DVOS. EXIMIAE. SPEI. ADOLESCENTES. SELECTAE. CLASSIS
DISCIPVLOS
DEMISSE. DECENTERQVE. INVITAT
M. IOANNES. GOTTFRIDVS. MOERLINVS
ILL. FRIDERICIANI. GYMNASII. DIRECTOR
LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIVS

ALTENBVRGI. EX. OFFICINA. RICHTERIA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0003-1

Gemina de cauſſa diem III. Kalend. Februarii SERENISSIMO. **FRIDERICO. III.** PRINCIPI. AC. DOMINO. NOSTRO. LONGE. CLEMENTISSIMO. PATRI. PATRIAE. OPTIMO, vniuerſae DOMVI. SERENISSIMAE. Aulae atque Vrbis proceribus, omnibus mitiſſimo ſaluberrimoque tanti PRINCIPIS imperio parentibus et gaudentibus maxime laetabilem dicimus. Vno enim et eodem die, diuerſis quidem annis, natus eſt SERENISSIMVS PRINCEPS. IVVENTVTIS. DOMINVS. **ERNESTVS. LVDOVICVS.** Paternarum auitarumque virtutum ac regionum HERES. FILIVS. DIGNISSIMVS, nata etiam SERENISSIMA. PRINCEPS. FILIA. **FRIDERICA. LOVYSA,** vera paternorum maternorumque decorum effigies, duo veluti ſidera ſplendorem gloriae SERENISSIMAE. DOMVS. SAXO. GOTHANAE. ATQVE. ALTENBVRGICAE irradiantia atque ad remotiſſima tempora tranſmiſſura. Quanta poſteritati perennaturae felicitatis ſpes adſulget ex EO, QVI voce, hortatu praeceptisque et exemplis PARENTVM. SAPIENTISSIMORVM, incitamentis ad aemulationem laudum MAIORVM. SVORVM. QVI, factis immortalitatem nominum iam conſecuti ſunt ſtimulatus, ephororum doctorumque monitis et doctrinis, proprio ſtudio addiſcendae artis imperium tractandi maximae animatus, ſapientiſſime ſuſceptis itineribus ad confirmandam amplificandamque ſalutem publicam praeformatus regiminis habenas quandocunque capeſſet? Quis non paternae et maternae ſapientiae imaginem veneratur in EA? QVAE quantum natalibus et dignatione, tantum gratia, moribusque virgine Principe dignis omnes ſupereminet. QVAE ſummae in PARENTEM SERENISSIMVM pietatis ac fidei documentis incluta a latere Senis ſumme venerabilis numquam diſcedit et in eo tota eſt, vt ſenectutis moleſtias EI abſtergat vitamque omnem efficiat iucundam. Illi, qui paterni amoris vim intelligunt facile perſpicient, quantum haec ad fouendam animi tranquillitatem in aetate, DEO bene iuuante, tam prouecta conferre poſſint. Quid efficacius ad vigorem mentis conſeruandum et ad ſenſum debilitatis corporis leniendum? quam liberos habere, non modo non degeneres, ſed generoſiſſima etiam indole exſpectationi reſpondentes ſpemque bonorum omnium ſuperantes. Fauſto igitur omine, quam omnes pie animati optamus, laetitiam ex longaeuitate **FRIDERICI. III.** PRINCIPVM. OPTIMI animis noſtris praecipimus, DEVMque tanto confidentius imploramus, quanto iuſtiora petimus, vt ad extremum vsque vitae terminum EVM ſaluum et ab omni parte beatum ſeruet, voluptatem ex LIBERORVM. SVI. MAIORVMque ſimillimorum virtutibus fluentem nouis quotidie incrementis augeat ſerisque nepotibus vegetum intereſſe iubeat, vt ERNESTVM. LVDOVICVM. PRINCIPEM. IVVENTVTIS. HEREDEM. FILIVM. SERENISSIMVM vniuerſae iuuentuti ad magna natae ad imitandum propoſitum omnibusque numeris abſolutum exemplar cuſtodiat, ſpei patriae, ſaluti rei ſacrae, ciuilis et litterariae praeſidio

conſer-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0004-6

conſeruet, vigore animi et corporis valentem tueatur, SERENISSIMAM. LECTISSIMAMque CONIVGEM. MARIAM. CHARLOTTAM. AMALIAM. ERNESTINAM. WILHELMINAM. HENRIETTAM. PHILIPPINAM atque ex EA. FILIVM. SERENISSIMVM. FESTIVISSIMVMque ERNESTVM, ſanguine iunctos in vniuerſum omnes principali faſtigio conuenientibus dignisque bonis cumulet, vt SERENISSIMAM. FRIDERICAM. LOVYSAM. FILIAM, pietatis et fidei parentibus debitae obſeruantiſſimam, totius SERENISSIMAE. DOMVS, patriae et ſexus SVI ſidus, ad votum omnium, perpetua felicitate florere faciat: vt totam SERENISSIMAM. DOMVM. SAXO. GOTHANAM. ATQVE. ALTENBVRGICAM vsque ad rerum vniuerſitatis finem ſartam tectam firmam et ſtabilem praeſtet.

Nuncupatis his pietati noſtrae conuenienter et quod ſperamus, DEO adnuente, ratis valiturisque votis, licebit iam in recenſendis ſummis SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE. IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM. MERITIS pergere atque eos etiam nominare, quibus vel ipſi in hac re adminiſtris vſi ſunt SERENISSIMI. PRINCIPES. BENEFICENTISSIMIque, vel, qui gratiam EORVM non ad ſuam ipſorum augendam rem et dignitatem, ſed ad ſubleuandas curandasque neceſſitates Eccleſiae ſcholarumque generoſe laudabiliterque flectere adlaborarunt. In his praecipue ſpectata eſt cura et fides viri diuina prouidentia reſarciendis rei ſacrae et litterariae, exitiali iſto et funeſto triginta annorum bello illatis damnis, ſeculari doctrinae euangelicae inſtauratae atque renouatae anno cIↄIↄCXVII d. IV. Kal. Octobr. nati D. IO. CHRISTFRIDI. SAGITTARII. Patriam ille habuit Vratiſlauiam, patrem, THOMAM. SAGITTARIVM. I. V. D. per XIV annos Graecae linguae, Logices et Metaphyſices Profeſſorem apud Ienenſes, inde rectorem Eliſabetani Vratiſlauienſium Gymnaſii, matrem, MAGDALENAM. ANDREAE. CATHERI ſenatoris ſalinatorisque Halae Saxonum filiam, quorum illum nondum omnino quadriennis, hanc autem, poſt obitum deſideratiſſimi coniugis cum impuberibus liberis Ienam reducem, ſeptimum agens annum praematura morte amiſit. Orbitatis ſolatium praeſtitit patruus M. CASPAR SAGITTARIVS, tum quidem ſcholae Numburgenſis Conrector, ſed iam Martinianae Brunſuicenſium ſcholae deſignatus rector, qui eum Brunopolin ſecum deduxit, vnde recte atque ordine iactis ſtudiorum fundamentis, vndeviginti annos natus Ienam repetiit. Brunopoli adhuc degenti fauſto omine DVX. AVGVSTVS. volubilitate latinae eius linguae delectatus, praedixerat: *tu clarus euades et magnis Principibus vtilis eris* (*a*) quibus verbis euentus etiam reſpondit. Abundabat Iena viris ſummi inter eruditos nominis. Audiebat igitur *in Philoſophicis* PHIL. HORSTIVM, Oratoriae et Philoſophiae practicae, DAN. STAHLIVM, Logices et Methaphyſices, IO. ZEISOLDVM, Phyſices Profeſſores, philoſophorum tantum non Coryphaeos eo tempore. *In Philologicis* PAVL. SLEVOGTIVM, Oriental. linguarum, et IO. MICH. DILLHERRIVM, Hiſtor. et Poëſeos Profeſſores. Dillherrio Praeſide bis diſputauit, cIↄIↄCXXXVIII. *de ritu nuptiarum* et cIↄCXLI. de *Notitia DEI non vno modo cum gentibus communicata*, quem adeo benignum et ſui ſtudioſum expertus eſt, vt ſaepius ex ore eius haec verba, quorum DEI in ſe beneficiorum magnitudinem et multitudinem grata mente recolens nunquam obliuiſci potuit percepta ſint: *Vtere me et meis* (*b*). Sic iuſto ordine perceptis philoſophiae praeceptis ad altiora contendens *in Theologicis* ſummos viros D. IOANNEM MAIOREM, D. IO. GERHARDVM, D. IO. HIMMELIVM, D. SAL. GLASSIVM duces ſequutus eſt. Confecto ſtudiorum academicorum curſu, Dillherri inprimis commendatione, Curiam Variſcorum vocatus cIↄIↄCXLI. conrectoris munus ſuſcepit, quod tanta dexteritate, tanta etiam cum collegis concordia geſſit, tantamque inde ſibi beneuolentiam conciliauit, vt interiectis aliquot annis, poſt obitum HENRICI. TEVBELII. ſacrorum Antiſtitis digniſſimus iudicatus ſit, quem beate defuncto ſucceſſorem darent, quem tamen honorem modeſte deprecatus eſt. Curiae autem non vltra biennium commoratus, Ienam rediit, rector ſcholae oppidanae factus, prius vero quam Curiam relinqueret, luculentam orationem habuit, de *Non intermittenda veterum auctorum lectione*. Almae ſtudiorum matri cIↄIↄCXLIII. redditus eodem anno ſummos in Philoſophia honores capeſſiuit et quemadmodum diſcipulos ſuos omnibus doctrinis, quibus pubes ſcholaſtica impertiri debet, erudiuit, ita ciuibus etiam academicis docendo profuit, diſputandoque atque intra triennium illud, quo ſcholam rexit, ter praeſedit. A ſtudiis in vmbra formatis in lucem Academiae protractus, cIↄIↄCXLVI. Hiſtoriarum et Poëſeos Profeſſor Ienae conſtitutus, bis Decanus fuit et XXV intra quinquennium diſputa-

(*a*) FRID. GOTH. GOTTER. in Elogiis, p. 56.
(*b*) Conf. Vitae curiculum ſermoni funebri adiectum p. 62.

diſputationes habuit. Veritus quidem erat SERENISSIMVS. PRINCEPS. ERNESTVS. PIVS, ne profeſſione illa, cui deſtinabatur, longius a ſtudiis Theologicis abſtraheretur (*c*) Sagittarius, quorum eum amantem cognouerat: Sed reſpondit DIVVS. FRIDERICVS. GVILIELMVS, tractaret modo Theologica, ſe Sagittario non defuturum ſtetitque non ita multo poſt promiſſis, D. ENOCHO HIMMELIO Orlamundanorum Ephoro Cizam digreſſo, Sagittario Ephoriam et curam Dioeceſis Orlamundanae committendo, quam priusquam adiret ornaretque ſpartam, cIↄIↄCLII. Doctoris Theologiae dignitatem, habita D. IO. MVSAEO Praeſide inaugurali in locum Ep. ad Rom. c. IX. v. 19 — 23, inde orſus vbi in lectione curſoria ſubſtiterat, ſuſcepit. Hactenus comitati Sagittarium, nunc paulliſper ab eo diſcedimus ad ſollemnia Natalitia, quibus *d. III. Kal. Febr.* ſacer eſt, tranſituri.

Habebimus diuinis auſpiciis actum oratorium SERENISSIMO. IVVENTVTIS PRINCIPI. AC. DOMINO. DOMINO. **ERNESTO. LVDOVICO** DVCI. SAXONIAE. ET. SERENISSIMAE. PRINCIPI. **FRIDERICAE. LOVYSAE.** DVCI. SAXONIAE. ILLI. SERNIISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI. DOMINI. **FRIDERICI. III.** DVCIS SAXONIAE. GOTHANI. ATQVE. ALTENBVRGICI. PRINCIPIS. AC DOMINI. NOSTRI. LONGE. CLEMENTISSIMI. PATRIS. PATRIAE OPTIMI. SVMMAE. SPEI. HEREDI. FILIO. HVIC. VIRGINALIVM. VIRTVTVM. SPLENDORE. EMINENTISSIMAE. PRINCIPI. FILIAE, ſacrum demiſſiſſime deuotiſſimeque pietatem noſtram declaraturi. Partes dicendi et vouendi expetierunt ſibi

IOANNES AVGVSTVS FRIDERICVS HABERLAND *Calanus, probus, induſtrius modeſtusque adoleſcens*, qui PRINCIPEM. IVVENTVTIS maximarum virtutum optimarumque artium ſtudio inſignem, certiſſimum eſſe diuinae gratiae erga Domum Regnatricem et patriam pignus oſtendet *Oratione Latina* et

IOANNES HENRICVS ANASTASIVS BRAVNHOLD *Goederanus omnium quae diſcipulis bene animatis laudem et beneuolentiam conciliant ſtudioſiſſimus* Splendorem SERENISSIMAE. DOMVS. SAXO-GOTHANAE. ATQVE. ALTENBVRGICAE. nullis vnquam degeneribus obſcuratum praedicabit *Oratione Teutonica.*

Hos vt VOS. MAECENATES. MAXIMI. CVRATORES. GYMNASII GRAVISSIMI. RELIQVI. REI. SCHOLASTICAE. FAVTORES. O. O. EXOPTATISSIMI. *CRAS audita poſt meridiem hora tertia* honorificentiſſima VESTRA praeſentia dignemini ornetisque, demiſſe, obſeruanter atque officioſe rogo.

(*c*) GOTTER. in Elog. p. 58.

Wf 1725. 4o

VD18

ULB Halle 3
006 753 418

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0007-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0008-8

DE

SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE
IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM
MERITIS

PROGRAMMA. XVII.

QVO

DIEM. III. KAL. FEBRVARII. ANNI cIↃIↃCCLXXI

FAVSTVM. ET. FESTVM. OMNIBVS

NATALEM

SERENISSIMI. PRINCIPIS. IVVENTVTIS

DOMINI

ERNESTI. LVDOVICI

DVCIS. SAXONIAE

ET

IMAE. PRINCIPIS

F CAE. LOVYSAE

S. SAXONIAE

ILLIVS

SE NCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI

OMINI

F ERICI. III

VCIS

SA ANI. ATQVE. ALTENBVRGICI

AC. DOMINI. NOSTRI

GE. CLEMENTISSIMI

P ATRIAE. OPTIMI

FILII

AEQVE. SPEI

EREDIS

HVIVS

TVM. SPLENDORE. EMINENTISSIMAE

IPIS. FILIAE

CRAS

T. MERIDIEM. HORA. TERTIA

IN. YMNASIO. FRIDERICIANO

ISSIME CELEBRANDVM

INDICENS

CENATES

CV YMNASII. GRAVISSIMOS

CHOLASTICAE. FAVTORES. O. O

IENDOS. ORNANDOSQVE

ADOLESCENTES. SELECTAE. CLASSIS

DISCIPVLOS

DEMISSE. DECENTERQVE. INVITAT

M. IOANNES. GOTTFRIDVS. MOERLINVS
ILL. FRIDERICIANI. GYMNASII. DIRECTOR
LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIVS

ALTENBVRGI. EX. OFFICINA. RICHTERIA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731737-p0009-8